



**T**Homas natus est in oppido Sueuiæ Feringen honestis parentibus, anno circiter 1512. Cum is felici ingenio esset prædictus, à pueris operam literis dedit, & prima artium rudimenta in patria egregie didicit. Inde anno 1525 Heidelbergā à patruo Simone Grynæo uiro clariss. uocatus, ibidem artibus & linguis incubuit, atq; mediocrem sibi eruditionem comparauit. Accidit autē tum ut Simon Basileam ad Græcam profelionem 1529 uocaret. Eum Thomas comitus Basileæ cum patruo uixit, atq; domesticis patrui discipulis aliquot priuatas lectio-nes prælegit. Cū hoc modo pergeret, atq; Bernensi reipub. innotuisset, anno 1535 eō uocatus, Latinā &

Græcam linguam docuit, atq; eius loci stipendiatos omni genere literarum et uirtutum instituit. Ibi cum annis undecim mansisset atq; uariæ quæstiones à Theologis motæ essent, quibus & ipse implicabatur, harum contentionū pertæsus Basileam rediit atq; aliquandiu priuatis studijs incubuit. Paulo post inter Academiæ professores receptus, atq; 1547 artium Magister creatus fuit. Erat Thomas moribus tranquillis prædictus, atq; pacis studiosissimus. Vnde etiam sacræ lectioni incubuit, atque quandoque in uicinis pagis Euangelium annuntiauit.